



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quomodo Christus resurrectio & vita?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Ita Epistola 121. cap. 2. ad Probam, nec sibi notum esse quoniam ostendit. Sed quoniam quisque talis invenitur de viuis animo, & moribus sit in hac vita securitas? Nam scit sibi quisque, nemo alter alteri notus est, & tamen nec sibi quisque ita notus est, ut sit de sua castissima conversatione securus.

Nulla ergo certitudo, nulla ex ea consolatio. Sed manet spes tamen consolatrix, non tamen sine metu.

S. 5. Insigne igitur documentum est, hanc fidem Marthe, quam sectarii veram & iustificantem esse concedunt, non esse certam fiduciam propriæ iustitiæ, perseverantiæ, aut prædestinationis. Ipsa enim Martha obitum fidei suæ exponit; nempe vbi dicit nunc scio, hoc est, credo, quod quacunque poposcerit à Deo, dabit tibi Deus. Et: Scio quia resurget in novissimo die, in resurrectione; Syriacè ܡܪܬܐ ܒܥܒܕܬܐ ܡܪܬܐ, in consolatione, ita enim Syrii appellant resurrectionem, quod ea sit consolatio omnium fidelium. Non ait scio me iustam esse, & permanentem, nec vlla scelera in posterum, et si atrocissima committam, imputatum iri. Quorsum igitur ista ad fiduciationis solidissima stabilimentum adducant, vbi non modo eius nulla est mentio, sed ne de rebus quidem & statu agitur proprio, sed de virtute Christi, & Lazari resurrectione professio instituta est.

VERSUS 24.

Dicit illi Iesus, Resurget frater tuus.
Dixit ei Martha, Scio quia resurget in resurrectione, in novissimo die.

QVÆSTIO I.

Quid de resurrectione Martha sentit?

S. 1. Non extenuat Christi promissionem. Dixerat ille: Resurget frater tuus: non explicat de qua resurrectione loqueretur. Merito igitur illa dubitabat: an communi consolatione Christus vteretur, an speciali. Nam hodieque in usu est, ut resurrectionis expectatione soleant eos, qui morte carorum affliguntur, & in luctu sunt. Iudeis etiam fidei libus ex Iob. 19. Psal. 103. Isa. 26. aliisque Scripturæ locis erat visitatissima, & ad consolationem, & ad fidem contra Sadducæorum errores firmandam ratio. Ita confitebantur veteres Iudei, in Psal. 17. in Librum Deuter. R. Simai. Omnium creaturarum, quæ de celo creatæ sunt, anima & corpus ad celum pertinent. Creaturarum vero quæ de terra creatæ sunt, anima & corpus ad terram pertinet. Si igitur observet homo legem, & voluntatem Patris sui, qui in celis est; efficitur sine dubio de numero creaturarum supernarum, &c. Quapropter dictum est Rabbi Simai: non extare vllum caput Scripturæ, in quo non fiat mentio de resurrectione, tamen si vis nostram illud penetrare non possit. Et hoc est quod scriptum est: Vocabit celum deluper, & terram ad iudicandum populum suum.

Et I. Sin ighorha desiphra. Puri suæ qui meruerunt præmium sunt iusti illi, qui recuperaverunt animas suas mediante corpore illo sanctissimo, quod vocatur homo, quod implet totam terram, & donatur corona ab illis. Accipiunt vero & coronam sancti, atque coniunguntur ibi in illa cæteris, vbi conveniunt. Pergit plura de Spiritu eorum recensere, & coniunctione cum Deo. Et in Midras Tehillim in Pl. 11. vbi ex Daniel. 12. exponit splendorem iustorum. Quamvis fabulas aliquas miscuerint veteres Iudei, & postea plurimas Sanctorum itaque doctrinam Martha excelsit, tum instituta à Magistris, tum vero à Christo Domino.

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

S. 2. Præclarum & illud omnem nostram spem, & consolationem in resurrectione consistere, unde & in Syro dixi vocari consolationem. Ita ad virtutem & aspera subeunda, mortem etiam ipsam hortatur S. Cyprianus spe resurrectionis futuræ. De mortalitate. Si enim credimus, inquit, quia Iesus mortuus est, & resurrexit; sic & Deus eos, qui dormierunt in Iesu, adducet cum illo, eos contristari dicit in excessu suorum, qui spem non habent. Qui autem spe vivimus, in Deum credimus, & Christum passum esse pro nobis, & resurrexisse confidimus, in Christo manentes, & per ipsum, atque in ipso resurgentes, quid aut ipsi recedere istinc de seculo nolumus, aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus. Ipso Christo Domino nostro monente ac dicente, Ego sum resurrectio & vita, &c.

S. 3. Eâ causa sancti mortem optare soliti sunt, non ut exitium, sed ut resurrectionis sementem S. Isidorus Epistol. 224. Gratulationem de recuperata valetudine non admittit, quod mortem viri optabiliorem existimavit. Atque ita videmus plerumque sanctorum læta securitate ad Christum venisse, & mortem non exhorruisse. Isidorus ea spe firmatus contra mortem, æternæ vitæ spe ductus Epist. 85. eam commendat potius, & expectandam docet. Nec enim piis est supplicium, ut I. 5. c. 8. constituit. Apost. Quinam hæreticorum, & quomodo articulum illum fidei oppugnant alibi doceo:

VERSUS 25.

Dixit ei Iesus, ego sum resurrectio & vita. qui credit in me: etiam si mortuus fuerit, vivet.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christum resurrectio & vita?

S. 1. Divinitat. in Christus ostendit, dum se resurrectionem & vitam nominat, nec enim tantummodo ex nihilo fecit viuos, sed mortuos in vitam reducit. Quamvis maius omnino sit creare, quam resuscitare. Tamen dum vita est, ubicunque est. Lactant. I. 4. de vera sapientia. Iacencia, inquit, mortuorum corpora creavit, eosque nominibus suis inelamatos, à morte revocavit. Quid congruentius Deo? quid miraculo dignius omnium seculorum, quam descensam vitam resignasse? completisque hominibus temporibus tempora adiecisse? Arcana mortis revelasse. Sed hac inenarrabili potestas, imago virtutis maioris fuit, quæ demonstrabat tantam vim habituram esse doctrinam suam ut gentes in orbe toto, quæ alienæ à Deo subiectæ morti fuerant, cognitione veri luminis animatæ, ad immortalitatis præmia pervenirent.

Resurrectio igitur & vita est, quod eius resurrectio est, omnium resurrectio & vita. Et libro 1. de opificio Dei c. 4. contra eos disputat, qui hominem fragilem, morbis obnoxium, mortalem conditum affirmabant: ante autem ostenderat, immortalitatem, & integritatem futuræ vitæ referuari.

Quocirca vita Christi, lignum vitæ Prou. 3. Pl. 103; i. Corinth. 1. Sapientia etiam, & salus nostra. Contra Eetinthianos, aliosque qui secuti Samosatitanos, Arianos, & nostros hæreticos: demonstrat etiam Irenæus, Christum esse Deum, qui cum Mose locutus est. Sic: Vnus Deus nim Deus mortuorum non est, sed viuorum, hic autem dormientium Patrum Deus dictus est, indubitare vivunt Deo, & non novi Testamenti. Resurrectio autem ipse mentis. Dominus noster est, quemadmodum ipse ait. Ego sum resurrectio & vita. Patres autem eius filij. Dictum est enim à Propheta. Pro patribus tuis facti sunt tibi filij tui. Ipse igitur Christus cum Patre, viuorum est Deus, qui & locutus est Moysi, qui & Patribus manifestatus est.

Et sane etiam aliqui suscitaverint aliquos; nemo tamen fuit resurrectio, sed vnus Deus, qui creavit resurrectio

Na

dict

Nemo est
resurrectio,
nisi Chri-
stus.

dici meretur. Non enim duntaxat causa secundaria, sed instrumentum resurrectionis fuit, sed ipsa resurrectio & vita, hoc est causa primaria resurrectionis efficiens, & à qua sola vita tanquam à suo fonte dependeat, quæ quanta est tota sit vita, tota sapientia. Non ergo opus expectare nouissimum mundi diem, ut tum demum excitetur, cum nunc ipsa adsit resurrectio, per quam tum quoque resurgent. Nam vi resurrectio in resurgente, & in viuentem est vita, ita Deus solus in omnibus in omni ista operatur, & conseruat, cum ipse sit omnia in omnibus. Atque est vita in malis etiam, qui vitam externam, & animalem habent.

Impij non
resurgunt.

§. 2. De vita tamen æterna præcipue intelligit, ita dicuntur ituri in resurrectionem vitam, Ioan. cap. quinto. qui bona fecerunt. Sic enim & mortui viuent; nam impij non dicuntur resurgere ad vitam; eorum enim viuificatio est ad tormenta, & ad mortem secundam, dirissima præparatio. Vide Tertullianum l. de resurrectione. carnis. Causa igitur est finalis & obiectum vitæ æternæ, cuius in possessione sola est, & perfecta creatura beatitudo. Est etiam causa efficiens ut dixi, nec potentia solum efficit, sed passio, & morte etiam meruit, & per humanitatem velut instrumentum coniunctum operatur. Corpora erunt etiam in illa resurrectione gloriæ confortia, non animarum plena duntaxat felicitas: corpore enim viuificato Lazarus resurrexit. Refutatur itaque historia Lazari hæresis Saducæorum, Basilidis, Marcionis, de quibus Irenæus lib. 1. cap. 13. Tertullianus lib. 5. contra Marcionem. Epiphanius hæresi 64. Phorius lib. de septem Synodis cap. 5. Hieronymus Epistol. contra Miner. & Alexand. Quin etiam Eutychniana insania conuellitur. Resurrectio enim verbo ille concedebat, re ipsa negabat. Nam corpus in resurrectione non carneum, & osseum, sed spiritale fore prædicabat; quæ non est eius, quod cecidit resurrectio, sed noui corporis creatio. Vetusior ille tamen error Eutyche; nam ita Origenem sensisse, testis est Hieronymus Epistol. ad Pammachium & Oceanum.

Iudeorum
error.

§. 3. Resurrectionem non modo Iudæi orthodoxi ut ante ostendi credebant, sed eius etiam auctorem, & Dominum Messiam fore docebant, & nunc quoque articulo illi fidem habent, sed varie corrumpunt, dum corpora resurgentium cibi & potus indiga libidinis, & voluptatibus polluta describunt. Veterum sincerior fides erat. Nam resurrectionem corporum immortalium credebant, quæ non opus quotidiana resurrectione haberent. Sic in Psalm. 3. Dormiam & resurrexi, interpretantur per manum Messie. Sic in interpretatione Psalmorum Psalm. vndecimo. Sermo alius, Videbunt faciem eius. Hi sunt iusti, de quibus dictum Danielis 12. Et intelligentes splendebunt, sicut splendor cæli. Futurum siquidem est; ut facies iustorum fulgeant tanquam sol, tanquam luna, tanquam cælum, tanquam fulgura, tanquam lilia, tanquam lampades. Probat simul ex Daniel. 12. Nahum. 2. Ex Psalm. Victori super lilia. Describit deinde septem mansiones iustorum quas Messiam assignaturum proficitur. Qui & ipse merces erit eorum. ut in Ista cap. 40. recte exposuit Ionathæ Chaldaea Paraphrasis. Ex quo apparet, quantum à vetustis noui Iudæi degenerarint: dum vitam æternam carnali cogitatione definiunt.

Sic etiam illud Daniel. 2. Et lux cum eo est, interpretantur esse ipsum Messiam. Ita Seder gholam. & versio Ionathæ R. Abba cæteri que. Ex quo apparet quomodo non modo cum Scripturis, sed etiam interpretationibus Christi dicta & facta consentiant. Nam illi quos nominauit Rabbinos, non de sua, sed veterum etiam sententia loquuntur.

§. 4. Caluinus hoc loco omnes præparationes ad

iustitiam reicit. Eant nunc qui nature motu præparari homines garrunt, ad recipiendam Dei gratiam, perinde est, ac si dicerent mortuos ambulare. Si contra Pelagianos hæc garrat, non abs re agit, si contra orthodoxos, nihil ad rem est, quod profert. Nemo enim nature motui, præparationem animi tribuit, sed gratiæ præuenienti, cui tamen cooperatur libertas naturalis. Viuit autem fide, quicumque corpore moritur, si credat.

VERSVS 16. & c.

Et omnis qui viuit, & credit in me:
non morietur in æternum. Credis
hoc?

QVÆSTIO I.

An omnis qui credit non moriatur in
æternum?

§. 1. QVantum quidem est ex parte fidei, si in ea vera & viua perseveret, morte spirituali non morietur. Itaque hoc loco non opus est alio commentario, quam illis, quibus similia verba sunt explicata. Hoc vnicè notandum est, non esse hic de fiduciatione Caluiniana mentionem. Nam Mar. hæc fides erat posse fratrem à Domino suscitari, deinde credit; Christum esse filium Dei vini, qui in hunc mundum venit.

Credidit enim, Christum esse resurrectionem & vitam, & credentem saluari. Non credebat tamen, sed sperabat, se in fide esse, & porro perseveraturam. Occurrit hic Pareus lib. 1. cap. 8. de iustificatione. *At hæc est fides misericordie Dei, ex qua & Christus ipse, & vita æterna omnibus & singulis credentibus donatur.* Vera sententia, sed non sensu Caluiniano. Ex ea fide gratia datur; at non est fides de propria cuiusque salute, nec Martha dicit, Ego credidi quia me prædestinasti, sed quia tu, es filius Dei vini.

Hæc cum dixisset Secreto vocat sororem: ne turbasimul comitaretur, aut Domino periculum crearetur. CHRISTVS foris mansit, quod monumenta extra vias, & pagos & fere ad viam collocata essent.

Quod Iudæi comitantur humanitatis causa faciunt, Christus testes miraculi esse voluit.

Timuisse Mopsuetenus ait, ne manus sibi præ magnitudine doloris adferret. Maria nihil homines verita omniam in conspectu procidens Christum adorant, nec restringit ad præsentiam corporalem Christi virtutem: sed eo modo verba eius intelligenda sunt, quo ante de Mar. hæc oratione dixi.

VERSVS 33. & 34.

Iesus ergo ut vidit eam plorantem, &
Iudæos qui venerant cum ea, plorantes, infremuit Spiritu, & turbauit seipsum. Et dixit, ubi posuistis eum? Dicunt ei, Domine, veni & vide.

QVÆSTIO I.

Quis Christi fremitus? & quæ lachryma?

§. 1. Caluinus de Christi fremitu, & turbatione parum religiose disputat. [Quia videtur, inquit, quibusdam absurdum esse, si Christum & dicitur]